

## 1438 mrt 17, Abdij Echternach, Wampach IX-827

Archief abdij Echternach Staatsarchief Luxemburg, 17-3-1438

Theoderich von Betghenhusen, Landkomtur, und Nikolaus van Dussen, Komtur der Ballei Utrecht, mit den zum Kapitel vereinten Deutschherren zu Utrecht bekunden, daß Abt Peter und der Konvent der Abtei Echternach der Gründung der Pfarrei Gemerd zustimmen und daß sie die Präsentation zu dieser Pfarrei von Echternach zu Lehn empfangen haben; weiter versprechen sie der Entrichtung des Novalzehnten an die Abtei Echternach keine Schwierigkeiten bereiten zu wollen.

Utrecht, 1438, März 17.

Abschrift, vom Notar Monticola beglaubigt, in der HS. 29, 20, f. 21 (liber octavus), auf dem Staatsarchiv zu Luxemburg (B). — Unbeglaubigte Kopie saec. 26, ebd. (C). - Regest in der HS. 18, Abt. 15, S. 292, nr. 26, auf dem Historischen Institut daselbst.

Uit: Wampach Urkunden- und Quellenbuch deel IX akte 827

Universis et singulis presentes litteras visuris ei auditoris, Theodericus de Betghenhusen, commendator provincialis, Nicolaus van der Dussen, commendator domus Traiectensis ceterique fratres balivie de Junccis, Hospitalis Beate Marie Teuthonicorum Jerosolimitani, Leodiensis diocesis, salutem — cum veritatis notitia subscriptorum.

Notum facimus universitati vestre quod nos in loco nostro capitulari consueto capitulariter congregati ac capitulo ad hoc specialiter indicto sponte et ex certa scientia recognovimus et presentium tenore recognoscimus, quod cum nuper reverendus in Christo pater Petrus abbas et venerabilis vir Nicolaus decanus totusque conventus monasterii sancti Willibrordi Epternacensis, ordinis sancti Benedicti, Trevirensis diocesis, supplicationibus nostris necnon subditorum nostrorum in Gemert gratiosius inclinati ex certis justis et rationalibus causis in constructione, fundatione, erectione et separatione ecclesie parochialis in Gemert rectorumque suppressione, omnibus aliis et singulis in premissis requisitis prout in litteris desuper confectis ac sigillis dictorum reverendi patris abbatis et decani suorum et dicti conventus nomine sigillatis plenius continetur, suum benevolum et gratuitum prebuerunt et prestiterunt consensum, favorem pariter et assensum, nos tanti beneficii memores, in recompensam huiusmodi gratiosi consensus, nos nostrosque posteros et successores perpetuis temporibus obligamus et obligatos esse volumus per presentes, quod commendator provincialis modemus et sui successores pro tempore presentationem seu jus presentandi rectorem ad ecclesiam parochialem erigendam in Gemert a dicto domino abbate seu eius vices gerenti mediante una libra cere ad pios usus luminarium ecclesie Epternacensis predicte totiens quotiens novum contingat prefici commendatorem prestanda relevabit in feodum. Insuper nos nostrique successores commendatores predicti obligati erimus perpetuis temporibus solvere singulis annis in festo Purificationis Virginis gloriose unam libram cere ad pios usus predictos dicto domino abbati eiusve receptori infra villicatum de Buscoduce census suos recipere consueto. Promittimus etiam quod predicti reverendus pater abbas suique successores pro tempore totusque conventus Epternacensis manebunt a nobis ac futuris rectoribus ecclesie de Gemert perpetuis temporibus liberi, pacifici et quieti in perceptione novalium nomine abbatis et conventus hucusque receptorum et per eosdem hactenus possessorum obligavimusque nos universos et singulos supradictos et obligamus per presentes quod omnia et singula onera dicti rectoris de Gemert incumbentia nunc et in futurum supportabimus et subiemus absque dictorum abbatis et conventus damno, detrimento vel gravamine in omnibus et singulis premissis, fraude et dolo seclusis penitus et semotis.

In cuius rei testimonium firmitatisque robur omnium et singulorum premissorum nos Theodericus commendator provincialis, Nicolaus commendator domus Traiectensis ceterique commendatores et fratres ballivie de Junccis supradicti, sigilla dicti nostri provincialatus officii et domus nostre Traiectensis ex certa nostra et singulorum scientia presentibus facimus appendi.

Datum Traiectensi diocesis predictae anno Domini 1437, mense Martii die 17, que fuit Dominica Iudica.